



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *IUTICALPENSIS* *IMMACULATAE
CONCEPTIONIS B.M.V. IN OLANCHO

PRAELATURA TERRITORIALIS AD GRADUM DIOECESIS

EVEHITUR QUAE DEINCEPS IUTICALPENSIS ERIT COGNOMINANDA Universae Dei Ecclesiae

regendae munus Nobis concreditum Ipsi requirit ut iis quae sacrae rei curationi melius gerendae sint apta sollicito ac sedulo studio consulere satagamus. Quandoquidem ergo Conferentia Episcopalis Honduriensis, laetanter animadvertens Praelaturam territorialem Immaculatae Conceptionis B. M. V. in Olancho, praesertim Franciscalis familiae Minorum Fratrum ob industriam commemorabilem, fidelium numero christianisque operibus efflorescere, vota quoque ipsius Praelati, cleri ac populi excipiens, petiit ab Apostolica Sede ut supra commemorata Praelatura ad dioecesis dignitatem eveheretur itemque eiusdem nomen Curiae in Iuticalpensis nomen immutaretur, Nos profecto Ipsi, exstante favorabili voto Venerabilis Fratris Francisci de Nittis Archiepiscopi titulo Tunetensis, in nationi Honduriensi Apostolici Nuntii, Apostolicae Nostrae potestatis usi plenitudine, haec quae sequuntur statuimus ac iubemus. Praelaturam quam supra diximus ad gradum et dignitatem dioecesis evehimus et constituimus, servatis nempe iisdem finibus quibus nunc eadem terminatur. Novae dioecesis Episcopus servabit sedem in eadem urbe in qua usque adhuc Praelaturae sedes exstitit eiusque templum praelaticium ad gradum Ecclesiae Cathedralis augetur. Iuticalpensi Episcopo pro tempore praeterquam quod debita iura concedimus, obligationes quoque imponimus, residentium Episcoporum propria. Noviter conditam dioecesim metropolitanae Sedi Tegucigalpensi suffraganeam facimus eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Tegucigalpensis pro tempore subicimus. Consultores dioecesani deligantur ad iuris normam, qui ipsi assint Episcopo consilio et opera. Mensam episcopalem constituent Curiae emolumenta, fidelium stipes atque temporalia bona quae ad eandem Praelaturam usque adhuc spectarunt. Ad seminarii erectionem sacrorumque alumnorum institutionem quod attinet, serventur iuris canonici praescripta, ob oculos normis ac praeceptis a Congregatione pro Institutione Catholica statutis. Ex seminarii autem alumnis quidem necnon sacerdotes ad studia complenda, cum fas erit, ad Collegium Pium Latinum Americanum in Urbe mittantur. Quod ad novae dioecesis regimen attinet, bonorum ecclesiasticorum administrationem, Administratoris dioecesani, sede vacante, electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, quae ius canonicum praescribit, adamussim serventur. Simul atque novae dioecesis constitutio ad effectum deducta erit, ea ipso clerus Praelaturae adscriptus, novae dioecesi assignatus habeatur. Ad novensilem exinde constitutum dioecesim promovemus Venerabilem Fratrem Thomam Andream Maurum Muldoon, adhuc Episcopum Praelatum eiusdem Praelaturae. Ad ea denique explenda quae per has Litteras iussimus, Venerabilem Fratrem Franciscum De Nittis legamus vel, ipso absente, negotiorum Apostolicae Sedis in Republica Honduriensi gerentem, factis iis facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Re tandem ad

exitum perducta, documentum conficiatur, cuius sincerum exemplar ad Congregationem pro Episcopis seduto mittatur. Contrariis minime obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo primo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri decimo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	BERNARDINUS Card. GANTIN <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Rodomontes Galligani, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXIX (1987), n. 12, pp. 1435-1436

© Copyright 1987- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana